mota, ex literis meis intelligatur, quanta perfidia subvertere veritatem, turbare res humanas, miscere omnia pergerens, et idgenus multa. Faber putat magni esse momenti, judicia vulgi antevertisse, et vere sic est. Atqui fortissima veritas tandem vincit, ubi mendacia ampullosa deferbuerunt. Quare precor candidum lectorem, Argumentum scribendi nostro debitum, et cui, quo tempore, adversus quem, qua occupatione, quo modo et cur scripserim, expendat ac dijudicet, uter nostrum, Faber an ego maligne, perfide et adversus jus gentium egerit, an offenderit Principes ac humanam tranquillitatem, qui amico incognitus, quae vulgo dictitant, scripserit, an ille, qui privata pervulgaverit, traduxerit, vitiaverit, falsa interpretatione, calumniisque vel optime dicta detorserit. Nam tale se faber vero gessit in meis literis. Exemplum literarum per Lucernates Helvetios ad nos pervenit, satis fidum, quod collato fabrili interpretamento, nonnihil restituimus, rejectis in spatium chartae vocalis per descriptorem perperam expressis, aut forte per me male depictis, nam chartulam non relectam dedi, ne tibi legenti nebulas transpositis elementis offunderem, aut ne quid imposterum obtrectatores habeant, quod cea de immutato exemplo calumnientur.

51 /

HULDERICHO ZUINGLIO SUO IN DOMINO majori observando Wolfgangus Capito.

Gratia Tecum, dilectissime Frater. Antichristus modo speciem praebet ultimi conatus, nondum enim pronuncio, an serio moliatur, quae prae se fert. Quis non videt similitudinem belli ostentatam dici? Ratisponensi foederi Caesar mandatum dedit tuendi se autoritate sua, cum magnifica pollicitatione, propediem se adfore Germaniis, seditiosam illam doctrinam (: sic Evangelium nominant:) radicitus evulsurum.

Quod veritas mendaciis seditiosa dicatur vetus est, et omnia plena sunt hac aetate calumniatorum, quorum technis ejusmodi dicta debemus.

Episcopus noster famam spargit, se emere avena saccos octies mille, in vicinis oppidis, pro ingenti equitatu excipiendo, tabernas atque hospitia inscripsisse, aedificat equorum stabula in singulis arcibus suis.

Tali rumore tota vicinia, nedum urbs nostra percrebuit, adeoque cogitatione quidam providerunt, ansam hinc nacturum Fabrum opprimendi verbi apud Helvetios. Solet enim vanissimis rumusculis ruente superstitionem subfulcire. Et quis nescit vana multa in famam venire? Et tamen ut anili similia inter se per occasionem nugentur, nullum opinor piaculum est, quod vel in publicum vel apud ignotum interim narrare subpuderet. Ridicula consilia, solida pectora non frangent larvis, tametsi equestri excursione tentata praelia ductum videant,

quod quidem

quod quidem consilium quam illis tutum sit, ignoro, nisi omnino Dominus cor pavidum et ad motum folii trepidum dederit. Ferunt adhuc Brunsuicensi Duci Henrico, datam potestatem atque mandatum impugnandi Saxones.

In alicujus homuncionis contumeliam vel compertissimum scribere, mihi religio est. Atqui nihil aliorum refert, quid quisque privatis colloquiis verset. Aequalis autem juris Epistolae habent, quae viris inculpatis scribuntur.

Episcopi cupidissime omnia minantur; nam est eis vis ingentissima pecuniae, nihil dum apparet veri, conventus Spyris institutus talia consilia confirmabit, atque in apertum producet, modo spes sit illis victoriae.

Non dico conventum primum in hoc institutum, ut ea affirmes, sed simpliciter conventus institutus. Neque definio, quamobrem institutus sit. Consilia ejusmodi, inquam, confirmabit, divino prudenter ad amicum, quod Faber sic esse affirmatissime pronunciavit apud Helvetios, qui ad Imperii Senatum propterea scribunt, se scire, causa novi ejusmodi erroris evellendi illos coactos, quas literas Faber, tanquam in ne testes prior publicavit.

Expecto Rebuspublicis acriorem digladiationem imminere, quas arte diviserunt. Expectamus quae saepenumero nunquam contingunt, Faber sic vertit: Est modo prae manibus acre bellum, Rebuspublicis, ita sibi studio ducit justo majora reddere omnia. Deinde his verbis colligit, occisis per nos agricolis, jam nos meditari bella civilia; judicet aequus lector, an vere colligat.

Nulla est Rhenanae provinciae, quae ex animo cum nostra faciat. Minores undique Concionatores exautorant, metu perculsae expectati mali. Quatenus inquam, ad confessionem verbi pertinet, quod sequela arguit, alioqui nostrae Reipubl. cum omnibus amicitia vetus ac fida constat.

Habent Principes prosae edicta Caesarea blasphema, ne vel Scripturae lectio relinquatur plebi, quae quidem in ventum tandem abibunt.

Simpliciter dico blasphema; Faber interpretatur gotslesterigen de suo enim addit, in Deum. Nam in Deum blasphemum, hanc vocem Germanicam refert. Caeterum blasphemia convitium est quemadmodum apud Demosthenem pro Ctesiphonte et alias frequenter occurrit, et hujus vocis perpetuus usus est pro simplici convitio, quare prudenti amico significavi, verbulo eodem, Edicta Caesareana obtrectare, dum partim prohibent vulgum a lectione Novi Testamenti, partim Evangelicam veritatem faciunt seditiosam. Et quid commeruit obsecro, qui edicta Principis falsa aut etiam in Deum blasphema nominat, postquam ejusmodi dolo interim extorquentur, interim, qui imperant errant perperam addicti nimium causae suae? De rescriptis Principum ut exquiramus, jura liberum faciunt, imo id jubent. Proinde minus Fabrilibus nihil movear, qui privatis literis scripsi, quae cogor ex fide vel tormentis adactus, palam confiteri. Ita nobis Christus edicit: Qui me non confitebitur etc.

Sed ea ubi nervus belli, id est pecunia, tyrannos non defecerit, si
sunt propenso animo ad nocendum vicinis Rebuspubl. erunt materia
bellandi.
Tyrannos nomino, qui sui compendij gratiâ verbum ex senten-
tia persequuntur. Quam vellem, ut hac tempestate competeret
nemini. Alioqui novimus Principes prophanos adeoque fortassis
Ecclesiasticos, qui gloriam Dei cum publica tranquillitate, si fieri
posset, provectam cupiunt.
Nam dicturi videntur adversarij. Nos Imperio Caesaris juxta prae-
stita juramenta obsequentes, prohibemus novas doctrinas. Vos
interim perijtis liberè illas asserere, quâ ex re noster quoque popu-
lus inficitur. Necesse est, ut aut nos in vestram sententiam
aut vos in nostram concedatis.
Absentis conjectura de hostium consilio, quam Faber glossemate
suo comprobat. Quod si vobis, inquit, pergendum fuerit, Princi-
pes plebe carebunt, omnes trucidandi venient juxta dogmata et
concionationes Lutheri. Verum mi Faber, expone, ubi nam Lu-
therus docuerit, omnes trucidandos agricolas. Asseverat amicè jus
gladij, et ne quis interim sibi gerat Magistratum, fideliter admo-
net. Quod si ad publicum bonum administrabunt Rempubl.
qui praesunt, et populus tanquam Deo praefectis etiam morosis
parebunt, altissimâ certè pace fruemur. Sic nos docent literae
Apostolicae, quas enarrat nobis Lutherus.
Caeterum, qui possumus voluntati Caesaris ita jubentis repugnare?
Proinde ut publicae concordiae consulatur, volumus, ut ejectis
Concionatoribus pristinas ceremonias reducatis, quo possimus
utrique Edictis parere Caesareanis, et in concordi religione iterum
conjungi.
Caeterum ridiculum est, quod ait Faber cum vetere religione nihil
infeliciter cecidisse. Nam bella semper viguerunt, et non est Lydius
religionis lapis externa felicitas, sed ex fide in Deum inculpata
vita. isto ore loquitur Symachus idolos aut Epicuri de grege porcus,
non Christianus homo. Sed ex abundantia cordis os loquitur.
Quod si ita egerint, quot putas perduraturas? certè rarissima erit
Argentina, Ulma, Norimberga in hac vicinia. Et tres forte
Respubl. apud Saxones et maritimae, quae in confinio Helvetio-
rum sitae sunt, eventum vestrum sequentur.
Pii pectoris de gloria Dei inter homines retinenda sollicitudo,
non metus est, quod scribimus. Neque quaerimur Respubl. nomi-
nata nimium inter se distare, quod Tu Faber nobis affingis,
quo relinquas adversus nos expediti inter Respubl. foederis suspici-
onem. Atqui haud sumus discordes, imò sumus conjuratissimi et
planè unus in Christo Jesu. Caeterum tuae factioni opprobratur
illud: En conjuratio, et quicquid dicit populus iste, conjuratio est,
nimirum adversus Dominum et adversus Christum ejus.
Quantum modo spei de Helvetiis divisis istic conceperint, hic
nos experimur, mutuam videres gratulationem ceu de cer-
tissima victoria.
Regnum Anti-Christi per divisiones crevit, ideò dant operam,
ut concordia

ut concordia inter socios vel conjunctissimos dissiliat. Faber hunc locum dissimulat, objecta vilitate fratrum, quos fastidit prae suorum gladiatorum magnificentia, quasi veritas à mundi fastu dependeat.

Quem cursum stulto hoc libello remorati sumus, quo utrumque doli adversariorum ostendantur.

Ei libello titulus est, vera narratio de disputatione Badensi, neque in eo quicquam calumniantur adversarij, quam quod L. Beri verba parum firmè recensita sunt. Nam omninò simile quiddam dixit, in quâ tamen re dixerit, aut non dixerit, paulum momenti situm est.

Quod si humano consilio rem gereremus, consideremus planè, tanta timendi materia undique se apperit. Verum, quia novimus quam profundè apud multos radices egerit verbum, speramus multorum constantiam, à quibus, qui modo ceciderunt, propediem erigentur. Nam sumptuosum et prolixum bellum non ferent, et mediocri nihil agent.

Hic locus ex nostra vena propriè est. Testamur nos à Deo in tanta causa solum pendere, injuriosè transmittentes, quod homines minentur. Item quod ob receptum altius verbum, speremus constantiam multorum. Verum inde Faber contrarium colligit, nimirum ex flore venenum, et vino toxicum. Patere enim hinc ait, quam verbo domini diffisi bellicis nitamur machinis. Quam coeca est mens invida atque odio perdita.

Summa Summarum, Pontifex cecidit cum suis satellitibus, exturbata estimatione ejus è pectoribus hominum, quem leviter suffulciunt propugnatores inopinati Christi.

Traditiones humanae et authoritas Ecclesiastica fulciuntur non nihil nova opinione, quae obtinuit contra Scripturam, et adversus veteres Canones, videlicet quem de corpore Christi per malum sacerdotem conficerando pronunciat id, quod à quibusdam etiamnum affirmatur. Eo tibicine leviter fulcitur Pontifex, unde autoritatem summam contra monarchas mundi obtinuit. Hoc Faber vitiat, pro leviter suffulciunt, reddit, facile avertentur, quasi secus sentientes contemnerem, quod neutiquam soleo.

Haec libuit de publicis turbis ad te, quas video perquam evanidas esse, et minime duraturas, nisi quod molliores interim concidunt, sed fortiores resurrecturi. Novum bellum Gallicum timent, unde consilia pleraque in diem proferuntur; Interea Dominus verbum suum provehet.

Superiorum omnium moderatio. Evanida inquam, sunt, neque nobis voluptatem affert discordia Principum, pro quibus oramus quotidie, ut sub eis placidam et quietam vitam degamus cum omni pietate et honestate, quorum consensus in domino orbem tranquillaret. Atqui dominum magnificamus, qui sua bonitate perniciosis bellis in verbi sui amplificationem abutitur interea, et qui de subito malorum rationes adeò subvertit.

Audi novam technam Satanae. Superioribus diebus ex Anabaptistis unus prorsus illiteratus ex Benfelt, oppidum est sub ditione Senatus nostri, huc adductus est, is palam nos proscidit contumeliis, et professus est se nos ad palinodiam redacturum. Adversarij in Senatu plausu magno stultum exceperunt et curarunt nostris assentientibus, ut ter aut quater coram Senatu confertissimo ageremus.

In Senatu sunt, qui necdum agnoscunt verbum nostrum esse verbum Domini, quibus quod ipsorum sententiae subscribit, allubescit, ii nobis civili concordia nihilo secius juncti sunt.

Capita dogmatum sunt. Nullum Magistratum esse Christianum. Pueros non baptizandos. Neminem pium suscipere arma posse ad imperium Magistratus; Diabolum et impios omnes demum salvandos fore.

Perniciosi homines negant, inter disputandum verbum Domini, quatenus ipsorum somniis repugnat, sine quo Dei esse non possumus. Et adempto penitus magistratu civilem abrumpunt consuetudinem. Dedignantur omnes concionatores verbi; solos qui sunt rebaptizati Christianos et fratres agnoscunt. Elementis alligant libertatem Christianam; quos excitat Satan in hoc, ut moveat pios Monarchas ad leges Christianae libertati iterum praescribendas. Verum illi expendant, quantum damni orbi allatum sit tyrannide spirituali, et relinquant prophetare quemlibet ordine debito, ut reliquae Ecclesiae dijudicent. Neque extinguant prophetias jure gladii, ne ruant in possessionem Dei, sed graviter alioqui utantur eo adversus rerum novarum cupidos. Diuturna esse non possunt, quae sunt ex hominibus, ut illa sunt, brevi abolescent, auspice Christo.

Interea mille in nos jactavit convitia, impios esse papistas, nos impietate illos modis infinitis excedere. Neque pejores nobis usquam extitisse, neque etiam in posterum fore. Pronunciavit interim anno septimo abhinc ad diem Ascensionis hora duodecima in primo articulo horae finiendum seculum hoc. Tandem post acrem objurgationem verbi, qua hominem gloriae desiderio insanum flagellavimus, ablegatus est ad Benfelt, hac lege, ne quid in vulgus de suis dogmatibus efferat. Verum, interea mira de se praedicavit, quemadmodum nos vicisset, et reddidisset elingues, atque eruditos omnes casuros prae spiritu suo plerosque ad famam talem commovit. Senatus jussit ultimo, ut praefectus ejus loci hominem oppido ejiceret. Factum est, ejectus venit huc, heri adfuit concionanti Mattheo Zellio, et mox duo verba aegre elocuto reclamavit acerbissime. Praelecto enim loco aliquo Deuteronomii, in eos, qui de eo non audiunt, expositurus sermonem futurum, dixerat: Videte, quanti periculi sit, non auscultasse Spiritui in Scripturis loquenti. Tum ille Anabaptista: Tu mentiris frater Matthaee in Sp. Sanctum, praecipio tibi hujus virtute, ut descendas et mihi de sensu Spiritus veriora locuturo, cedas locum. Papistas non minus impios subinde appellavit.

Oboritur totius Ecclesiae commotio ad hanc unam vocem. Civis quidam injecta manu furiosum ad Magistratum produxit, sequebatur Ecclesia, quam Mattheus aegre partim retinuit. Commotio, non seditio, non turbatio fuit. Stupore miraculo interpellatae concionis, homines suspiciebant, et partim abductum ad Magistratum sequebantur, sed retenti sunt illi autoritate Ecclesiastis, ut residerent ad avidos verbi, quorum bona pars tum aderat. Offert se nebulo ad poenam talionis, atque ardentissime efflagitat, ut et nos in vincula conjiciamur, quoad causa finem sit sortita. Exclamat de turri, Praedicatores vestri cadent, imo jam ceciderunt.

Adjecit apud Senatum, Decreta Pontificum et Ecclesiam externam cum toto suo satellitio, hoc est cum sacerdotibus, monachis, nonnis, sacramentis, consecrationibus, missis et id genus rectà esse contra Christum.

Vide quanta intemperantia hominem simplicem et sibi confidentem agitent, Nonnihil inde molestiæ sentiemus, sed extra omne periculum; præmunitæ enim sunt Ecclesiæ nostræ, quæ summam Christianismi proprie norunt ac tenent probissimè. Hæc sibi scribere libuit.

Ex eo quod scribimus, Ecclesiæ nostræ Christianismi summam propriè norunt ac tenent probissimè. Ex his nemo non intelligit, nos anchoram spei, in Dei scientiam et rationem Christianismi benè perspectam ac meditatam collocasse. Hinc enim vulgus natura mobile minus est obnoxium imposturis. Quæ verba Faber depravat, et postea colligit hoc modo. Istud est ingenium vestrum, conspirationes adornare et populum vobis adversus Magistratum agglutinare. O Calumniatorem, significo periculum à turbatore illo, nihil metuendum, propter rationem Christianismi probè conceptam, et vanissimus impostor rapit ad confessionem studij rerum novandarum.

Lutherus Suevorum Syngramma in Germanicum vertit, et commendavit magnifica præfatione, in qua tu et Oecolampadius perstricti estis, cui velim responderi argumento tali per Oecolampadium, quale ex ipso cognosces. Nimirum ut rejiceret causam in Dominum nos eo modo tentatem, cum liberà professione, quanta Dominus per illum præstitisset, ut propemodum supra hominem crederetur. Proinde clementer huic malo mederi Deum, postquam eum relinquit in tali errore, et permittit ad tantam oblivisentiam charitatis recidere, ut tradat Satanæ, et Satanam dicat, quos deberet lege charitatis pro fratribus agnoscere. His nos, dicit Faber, oblinere os Lutheri; qui nihil voluimus movere, quam ut amicus liberè profiteretur, quæ Dominus per illum præstitisset. Nihil dixit ei affingendum. Re ipsa major est, quam tuæ ferant sordes.

Nondum nobis copia facta est. Nam impressor Hagenoënsis ad nundinas usque vult celare, adornavi insidias, et spero me propediem nacturum copiam, tum mox habebitis, nam respondendum erit.

Id arbitror pium, ut incumbam, quo postulato fratri apud Ecclesiam facultas et spatium detur, pro se atque veritate causam dicendi.

Misi Oecolampadio, quæ Lutherus in Epistola ad quendam suum sectatorem. O humanam fiduciam, sic potest erigere cristas, et præ se contemnere quævis.

Annotat Faber Lutherum semper fuisse Monachum superbum.

Quod attinet ad constantiam spiritus, non injuria Faber id queritur. Nunquam enim cedit humanæ tyrannidi conscientias liberas opprimenti, alioqui ad modum fidei ferè sapit. Et in explicanda Eucharistia præter modum nobis videtur velut ex imperio pertinaciter asseverare, quod Scripturis traditum esse.

accedum ſimus, id quod liberiore verbo nominavi, erigere criſtas. Sed privatim, ad amicum taciturnum, ne quid fratri derogarem, quod tu contra jus gentium invulgaſti. Neque placitum eſt opinor de homine quamlibet magno, ſentire, quod patiatur quiddam humanitus; Facile omnes in vitium prolabimur pertinaciæ, incaleſcentes æſtu concertandi, quo nomine fabrika dogmata, quæ nihil ad ædificationem proſunt, execramur potiſſimum.

Orat impreſſor noſter τὸ τῆς Συζύγεως σύγγραμμα, ſi quod habes, ad nos mittas, aut certe ut hoc emendes, biduo potes paucūlas horas operæ ſeriæ ſuffurari, quas in hanc rem colloces. Nam vehementer opus eſſet, ut Cataſtrophe diſputationis extaret. Oro vacuum hunc fratrem ne remittas.

Ad ultimum actum Faber nervos intendit, conſilium nobis fuit petendi complementum diſputationis habitæ. Properanti autem ut ſum a lectione humaniorum literarum jam diu alienus, quo id commode explicarem, nihil occurrebat. tentavi ergo verbis Græcis exprimere τὸ inquam, τῆς Συζύγεως σύγγραμμα, voces enim ſunt omnium tritiſſimæ facile. Id ita properatum eſt ut aut priorem ſyllabam otioſe, repeterem ut Συσυζύγεως aut certe pro Συζύγεως, ſicut ab exemplo noſtro conjectura fit, τῆς συζύγεως ſcriberem, quod opinor eſſe veroſimilius. Utrum ſit compertius, declarabit autographon meum; certe nulla ſuſpicio doli ſubeſſe poteſt. Hic Faber, ut videtur, arrepto forte Lexico quod vicinum eſſet voci, et idoneum calumniæ, tametſi a figuris literarum remotiſſimum pro συζύγεως vel Συζύγεως, τῆς συστασίας aut τῇ συστασίᾳ, quod convitium ſonat, interpretatus eſt. Illud rurſus converſum in Germanicum dicitur Geſelſchafft, quæ vox aliquid notat conſpirationis. Mox verbum Syngramma relinquit, ut Ein Syngramma der Geſellſchafft, quo duriore et peregrino ſuſpiciones moverentur ſimplicibus, tanquam res peſſima celaretur. Profecto de induſtria vitiavit, poſtquam derepente a tota ſententia ceu membrum e vivo corpore duas illas voculas a verbo appoſito abrumpit. Præterea Eraſmo fideliter omnia tradente, pleraque eruditorum κειμήλια in vulgi notitiam pervenerunt, cujus generis ſunt, quæ ex naturali uſu in alium ducta proverbii ſpeciem præbent. Noſtra ætas, ut eſt impendio ſegnior, nonnulla in alieno fundo velut propria fecit quotidiana uſurpatione, ſi- ut Cataſtrophen, qui eſt ultimus actus fabulæ, cujuſlibet extrema rei proverbiali figura vocamus. Superiores conſueverunt addere fabulæ. Noſtri ſimpliciter Cataſtrophe fere dicunt. Proinde quia diſputationis Badenſis πρότασις καὶ ἐπίτασις, id eſt, initium atque medium pervulgata eſſent, libello nuper hic edito, viſum eſt operæ pretium fore, ut extaret ejuſdem Cataſtrophe, hoc eſt, finis, quatenus nimirum ad infanda convitia pertinet, quibus Eccius aſperſerit præſtantiſſimum virum Dei Oecolampadium. Nam Faber velut mutam perſonam in ea tragoedia geſſit, exceptis pauculis atque extrariis technis, quibus obſtrepebat, ut ſunt commendatio Bibliothecæ ſuæ inſtructiſſimæ, encomium ſuum de victo Zuinglio abſente,

quot libellorum

quot libellorum Zuinglii legisset, et id genus, quae in peroratione
recitabat. Putavi equidem factum exitum rei perfectum ad re-
tundendam Eccii atque Fabri vanitatem, glorias suas de victo
Evangelio passim efflantium, in subversionem quidem simplicium,
qui talibus fumis velut excaecantur. Quare Zuinglium oravi,
si quae consignasset de disputatione illa, nobis concederet eden-
da, sin minus bidui unius horas pauculas subductas opera justa
iisdem nugis impenderet, quo supremum fabulae actum specta-
ret orbis, quem Faber choragus accurate premeret. Caeterum Fa-
ber interpres meus sic reddit Germanice, vehementer opus est,
ut evertatur disputatio; Adjicit atrox in me epiphonema, con-
versus ad omnes Christianos, praesertim Helvetios, quos hortatur
ut animo expendant, quanto studio nos ostendamus, actum illum
jam probatum atque eximium evertere mendaciis, postquam agno-
verimus nos esse transfugas a castris veritatis, ob hanc omnino
caussam, ut plebem quoque Helveticam adversus Magistratum instige-
remus. Non aliter scribit calumniator probrosus, atque constaret
usquam me monuisse plebem, qui quidem vel cum vitae discrimine
motam curabam reprimendam. Quanta hominis quaeso impuden-
tia, qui ex verbis meis a se vitiatis eadet tantam subs[t]ruere calu-
mniam, et tam vehementem populum in caput meum immittere.
Cave Faber, perfidia perfecta in te autorem ne recidat. Nam
proba pectora perragre ferunt sibi imponi, quemadmodum tu lau-
datis Helvetiis falsatis literis meis imposuisti.
Fama sed incerta vagatur, Primam Pannonum urbem a Turca op-
pugnatam his diebus; Praeterea fusos equites Suevici foederis a Saltz-
burgensibus.
Colligit hinc Faber saepenumero compertum de aerumnis Principum
ac Procerum nos vehementer exultare. Et tamen simpliciter recito
ad Amicum, quae hic vulgo circumferantur, citra animi mei signi-
ficationem. Atque Dominus novit, cui servio, quanto dolore sint nobis
piis bella funesta, quibus orbis Christianus jam olim concutitur,
temeritate quorundam Rebuspubl. administrandis Praefectorum.
Adhoc Mediolanam arcem quinque millibus peditum cinctam quo-
ad Borbonius advenerit, qui ducatum jam occupabit, quae certo degi-
mento sunt, satis alioqui fore quod agant homines tumultuosi.
Ludit curiositatem nostram facete, ut solet. Addit postea hoc, augu-
ror avere te occasionem concionandi rusticis, ut antea es concio-
natus. Equidem vero omitto, qua arte verba mea hic depravavit.
Nam de hoc egi satis Germanice. Illud pio lectori firmissime affir-
marim, me cum symmistis meis agricolas vehementes a seditione
esse cohortatum, ad hoc faciendum admissi ac subornati fuimus
per Proceres hujus viciniae. Deinde ab agmine rusticorum domum
redeuntes in itinere substitimus, quoad literas pro tempore idoneas
scriberemus, quas eodem die plus minus duabus horis toti turbae enar-
ravit atque explicavit Confessor et martyr Christi Andreas Kru-
nilus, unde cunei seditiosorum prorsus dissiluissent, nisi Dux eorum
biduum imperasset, exigua remora interjecta. Interea enim

Interea enim preda quadam direpta mobiles animi ad opes ex rapto parandos induerunt. Caeterum qui subsunt Senatus nostri ditioni, literis his auditis paruerunt, legatis hactenus frustra ipsos revocantibus. Sunt qui frigidam subfuderunt, bene fateor, sed bona pars illorum in gratiam seditiosorum primum coeperat utcunque simulare Evangelium. Sed paulo ante, quam in apertum malum hoc prorumperet, ii fusis miseris nostris numerata aliqua pecuniola Episcoporum praefectis reconciliati sunt, et iterum missant, iterumque veteres exercent imposturas. Neque quicquam eis imputatur, modo abjurata conjuge cum meretricibus de more sacerdotum consuescant, condonat eis quantum flagitiorum patrarunt, nemoque exprobrat illis coenobia spoliata. Nam una cum vagabundis miseris palam proficiscebantur, tanquam faces scelerum, quorum cohortationibus per se ardentes, magis inflammati sunt. Contra pii fratres, qui pagos aliquot, in officio virtute verbi retinuerunt, partim exautorantur, profligantur, rapiuntur ad vincula ad tormenta ad laqueos et ad omne genus mortis. Hoc non est extinguere seditiones, sed occultis animi venis latentem fovere, mi Faber. Dixi tumultuosos habitatores quod agant, tales significo, quos nunc malis artibus tua conjuratio studet immittere innocentibus verbi sectatoribus, quos nomino tumultuosos non seditiosos, ut tu vertis. Sunt enim quibus orbis pernicies, h. e. nefaria bella lucro sunt, quos quidem obscuro significo.
Si qua de rebus Bernatium certa habentur aut spes quaepiam, provides, nos, ut per nuncium hunc sciamus. Vale in Domino fortissime Christi miles et frater. Argentinae 11. Junij. Anno 1526. Bucerus et Fratres te salutant praesertim Farellus

V. Capito.

52) Hulderico Zuinglio suo in Domino majori observando.

Hic Faber apertissima mendacia in Senatum ac populum urbis ac ditionis Bernatium effutivit, quae paucis in Germanica satisfactione delineavimus. Summa est, Bernae Evangelium praedicatur, Bertholdus ille Evangelista, in officio pergit, ex autoritate ac stipendio Senatus libertas verbi dicendi et interim Papisticae factionis pariter obtinent, nec unquam publice his annis consensum est adversus Evangelium etiamsi illic, ut alias quoque studia fortassis vigent. Faber vero omnia contrario modo affirmat cum notatione aliqua, gravissimi populi Bernatium. Ex his literis, ita ut dixi, depravatis nonsolum adversum vulgi rumorem in me commovit ὁ πολύτεχνος οὗτος, sed etiam Magistratum Helvetiorum et propemodum Senatum imperij, quemadmodum videre est, in eo libello, quo Germanice satisfecimus, ad me perdendum excitavit. Age nunc bone Lector Fabrum illum fatearis virum bonum esse. Quomodo enim effugiet crimen falsarij et perniciosissimi Calumniatoris? Si sciens bene dicta vertendo in Germanicum adulteravit, homo est longe omnium sceleratissimus, qui in vitam fratris, nihil de ipso mali unquam commeriti, dolis ac imposturis tantopere grassetur. Si per imprudentiam et inscitiam peccavit, ut multis videtur, dupliciter culpandus veniet tum quod non intellecta in pessimam tamen partem interpretari voluit, tum quia innocentissima quoque vel enarrationculis adjectis in contrarium rapere molitur. Ignorantiae defensio

locum inte